



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

[De Natvrali Ex Vngvivm Inspectione Praefagio comment.]

Baldi, Camillo

[Bononiae], 1629

Indicis, & medij digitii vnguium maculæ. [Cap. XXI.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-13286

corum qui nascuntur inter diū in dextra , qui noctu in finis-
tra spectari .

Indicis macula ; & medij ex chyroman : placitis . Cap. XXI.

Indicem Ioui tribuunt in huius vngue lucra , & damna
apparere aiunt , si vnguis albus fuerit , & eburneus diues
erit , & si maculae fuerint albæ , & in medio vnguis appare-
bunt iam diues actu est , si autem in summitate , neque ha-
ctenus diuitiæ contigerint , frustra expectabit , paruae macu-
lae partias fortunas , magnæ magnas promittunt , radiosæ ho-
nores cum diuitijs spondent , obscuræ , & fractæ furta , & ra-
pinas minâtur , & his augeri modis rem familiarem . Nigras
dicunt Martiales , & in Indice minantur percussionses , cum
vituperatione , & de decore si fuerint in dextra , si vero in fi-
nistra , & periculum , & dedecus augebitur ; obscure propter
feminas malum sequi , lucide si cum nigrore fuerint propter
dignitatem , & proprium honorem capiendum infortunium ;
Roseæ propter mulieres nos habituros multos amicos , & ab
his nobis bona prouenient , sed fama laborabit ; valde si ma-
gnæ sunt maculæ , parum , si parue , & sine radijs . Purpureas ,
& ad colorem corticis castanearum accedentes maculas so-
lares aiunt ; Solem regias potestates , & præsertim Ecclesia-
sticas dare dignitates ; & hominem supra domesticos , & ami-
cos sublimandum , vt alijs præsit , & apud Principes sit in
honore magno . Mixtæ maculae , plures , & diuersi coloris
iudicium faciunt difficile , sed attenditur magnitudo , & co-
lor , & radius , seu splendor maculae , & horum ratione fit iu-
dicium , si modo sine ratione somniare has nugas ; potest fieri
iudicosa oratio ; Quod si hæc in sinistræ manus indice
apparuerint , oppositū penitus erit iudicium ; Et si in vtro-
que indice maculae apparuerint . Ait Cardanus , malum
semper pronunciandum , quamuis minuatur , ab his que sunt
in dextro indice , & causam reddere volens , ait , id fieri , quo
niam humana natura ad malum nimis est prona , & prom-

D pta,

50 DE VNGIVUM PRAEAGIIS.

pta, adeo bene de genere humano vir ille sentit ; ego vero
præter quam quod puto, virum illum longe maiores dixi-
se falsitates , in illis suis lib. de Variet: de subtilitate , & de
Somnijs: hoc præsertim arbitror esse falsissimum ; Nam om-
nia bonum appetunt , & homines ad veritatem natos esse
asserit Aristoteles , veritas autem bona est , humana igitur
natura ad veritatem propensa , malitiam non persequitur ,
nisi spetie decipiatur boni ; Medium vnguem dant saturno ,
& maculas pallidas , & plumbeas vocant saturninas ; In hoc
vngue cogitationes , & cogitationum exitus apparere aiūt ;
In hoc conspici credunt mortes propinquorum , amicorum ,
& sui ipsius , persecutio[n]es inimicorum , carceres , & sollici-
tudines futuras , detrimenta rei familiaris , furta , & rapinas ;
Aiunt enim maculas albas , & magnas , & radiosas ostende-
re nobis instare maximum infortunium , à quo tamen pro-
pter prudentiam , & coloris bonitatem liberabimur , quod si
macula radios habuerit , & primæ fuerit magnitudinis stel-
la , ex eo infortunio honorem , & famam bonam conseque-
mur ; At si fuerit nigra macula ; perse sola , & magna , vel
Hercule duce impossibile erit infortunium vitare ; nō si Iupi-
piter ipse spondeat ; Neque est quod minui possit , nisi ali-
quæ albæ fuerint in pollice , & in indice : Memini me audiuisse
Cardanum , cum aliquando secum essem , dicentem dum vng-
ues suas intueretur , ibo propediem in carceres ; sed exibo
etiam ijs inuitis , qui hanc ærumnam calumniosam mihi pa-
rant ; petenti autem mihi vnde hoc haberet ; Medium sinis-
træ manus vnguem , & digitum valde sordidum protulit ,
in vngue erat macula sub nigra magna radiosa , & pene ad
medium digiti peruenerat vnguem ; Hæc inquit , hæc me in
carceres subito trudet , deinde in dextra duas albas in indi-
ce , & pollice ostendit , iam in radice vnguis se proferentes , &
ait vide , sunt hæc quæ me liberabunt ; Hoc successit , nam in
carceres coniectus fuit , & vix tandem post multos menses
liberatus , Romam petijt , ubi mortuus est , cum suis diuina-
tionibus ; Hæc sibi prædictis vere quidem , quoniam sibi
erat

erat cōscius forte, mihi tamē & pluribus alijs Scholaribus, qui illum aliquando audiebāt in publice, cū quotidie multa, ex metoposcopia, & physionomia, & chyromantia prä-diceret, ferè nunquam veritatem attrigit; Vnde ex nobis multi putarunt illum iam sciuisse, se delatum fuisse apud su-periores propter has diuinationes suas, quas passim profi-tebatur, sed ad propositas reuertamur fabulas. Quid ni-græ siue pallidæ maculæ decernant in vngue medio sinistre manus dictum est, neque melius promittere in dextra, sed tamen breuius, & minus futurum, ac duraturum malum; & si à bonis maculis comitabitur, semper fiet minus. At nō po-test vitari; Adeo ne in futuris contingentibus singularibus necessitatem imponere tentant? Si autem albæ fuerint bo-num quidem pronunciant, sed vitiabitur, & imperfectum erit, & continget id, cum multa difficultate, & labore, si ma-cula fuerit alba in medio dextræ; sed si fuerit in sinistra, va-na erit spes, & expectatio, & nihil consequeris eorum, quæ speraueras, & animo conceperas; docet igitur sinistri medij macula alba, te hoc bonum concepisse, & sperare, ast falle-tur spes tua, & nihil fiet, etiam si stellata si lucida si magna fuerit; Hæc omnia nihil aliud indicant, nisi quod de maxi-ne spe decides, & nihil präter dolorem tibi restabit; Ro-sæ color in maculis apparens rerum venearum cogitati-ones designat, si in dextra magna, & radiosa, & lucens aderit macula in vngue medij, veneris cogitationes, & amores il-lum in animo habere dices; & aliquando etiam intentum suum habiturum, sed cum multo labore, & facultatum, rei-que familiaris dispendio, si autem maculæ iam medium oc-cupant vnguem, & splendentes sint amatis potitur perso-nis, sed cum multo sumptu, & periculo, si autem in extremo est macula vngue, iam hæc transacta sunt, aut cito desinent, si macula erit obscura, & ad nigredinem vergens, mortem aut saltem vulnera, ob res venereas prädixeris; distractæ, & plures, & superficiales hominem ostendunt omnes fœmi-nas appetentem, nullis deinde addictum, neque vere, & sin-

D 2 cere

cere vllas amantē; in se tamē id habet boni homo hic, quod non est garrulus, neq; iactator, sed secretus, & nemini cūm qua rem habuerit fœminæ famam auferet; Quod si dixeris quomodo Venereos facit homines saturnus? Dicent non fieri venereos homines à saturno; sed maculam roseam esse signum venereæ cogitationis, & amorum, quos sua præsentia saturnus, si non tollit, attamen difficiles facit, & executionem omnino impedire conatur; Qui roseas iouiales vocant, & albas Venereas aliud sentiunt; & roseas volunt significare affectationes, & desideria dignitatum, Ecclesiasticarum præcipue, quas homo non assequetur si fuerint in sinistra, si vero in dextra vix perueniet, & si peruererit multo labore, multoque tempore id fiet. Albas ad res venereas transferunt, sed quoniam ex se vana sunt, & nihil ipsis respondet ex parte rei, mirandum non est, si nihil certi dare possunt, iam enim ex his quæ naturaliter de essentia macularum dictū est, appareat clare quā vana sit prædictio actionum humanarum, & consiliorum, & euentuum ex maculis. Quod dicēdū de Astrologia, & omni facultate quæ de futuris contingentibus singularibus aliquid certi afferentat. Cruentæ maculæ ad Martem referunt, & cogitationes vltionum, & vulnerum, & cædium animo destinari docent; quæ quamuis maximo cum periculo tamen aliquem sortientur effectum, si nihil erit quod impedit in manus siniſt ræ medio vngue; Id impediunt alba puncta, aut rosea, aut mixta, quæ indicant tuas cogitationes, & coniurations omnino inimicis manifestandas esse. Mixtæ turbidum perdocent animum, plurima continue apud seipsum agitātem, & nihil perficiēt; scuerum, crudelem, auarum, & penitus lucro, & compendijs etiam inhonestis inhiantem. At nihil assequetur, si hanc macularum varietatem habebit sinistra; si dextram occupabunt, pauca sane; & multo cum labore perficiet eorum, quæ cogitat. Quid autem sit, quod prædicti possit, potius id ex colore maiorum macularum determinandum, quam ex alijs signis, quæ illi apportant.

Anna-